

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2287

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1261, juin

Lieu d'émission : Château-Gaillard

Action juridique : échange

Langue du texte : latin

Analyse

Charte de saint Louis par laquelle il fait remise à l'archevêque Eudes Rigaud d'une rente de 40 livres due pour le vivier de Martainville, près Rouen, et d'une autre rente de 100 sous due pour Pinterville, en échange du manoir de Saint-Mathieu, près Rouen, cédé par l'archevêque au Roi pour y établir des religieuses (les Emmurées).

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Chevreux Paul, Vernier Jules-Joseph, *Les archives de Normandie et de la Seine-Inférieure*, état général des fonds, recueil de fac-similés d'écritures du XI^e au XVIII^e siècle accompagnés de transcriptions, Rouen, Lecerf, 1911, planche XLII.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod, cum dilectus et fidelis noster O., Rothomagensis archiepiscopus, teneretur nobis in quadraginta quinque libris Turonensium annui redditus racione stanni de Martinvilla juxta Rothomagum quondam nostri, de quibus quadraginta quinque libris predictus archiepiscopus a nobis emerat centum solidos annui redditus, teneretur eciam nobis in centum solidis racione ville sue de Pintarvilla quam emerat a Petro de Mellento, serviente nostro, et ejus uxore, nos in escambium et in recompensacionem manerii sui dicti de Sancto Matheo, juxta Rothomagum siti, quod cum prato, gardino et omnibus pertinenciis suis nobiscum permutavit idem archiepiscopus et nobis concessit de consensu capituli Rothomagensis pro redditibus supradictis, a nobis et successoribus nostris libere et quiete in perpetuum possidendum, sicut idem archiepiscopus ipsum tenebat et possidebat, ita eciam quod personas religiosas collocare et instituere possimus ibidem, si nostre placuerit voluntati, concedimus et quittamus eidem archiepiscopo et successoribus suis archiepiscopis Rothomagensibus, ex causa permutacionis predicte, predictas quadraginta libras racione prefati stanni et dictos centum solidos racione ville sue de Pintarvilla nobis debitos, prout superius est expressum. Concedimus eciam et quittamus ex causa predicta eidem et successoribus suis predictis totam altam justiciam quam retinueramus in predicta villa de Pintarvilla et ejus pertinentiis ab eodem archiepiscopo et dictis successoribus suis libere, quitte et pacifice in perpetuum possidendam, ita tamen quod dictus archiepiscopus et successores sui Rothomagenses archiepiscopi nobis et successoribus nostris quinque solidos Turonensium annui census de redditu dictarum quadraginta librarum racione stanni predicti singulis annis in duobus scacariis nostris Rothomagensibus reddere tenebuntur. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri

fecimus impressione muniri. Actum in castro nostro Gaillardo, anno Domini .Mº.CCº. sexagesimo primo, mense junio.